



Nf. 24.

38

ACADEMIAE FRIDERICIANAE  
PRORECTOR  
IOANNES GOTTLIEB  
HEINECCIUS, IC.

POTENTISSIMO PORVSSIAE REGI A CONSILIIIS  
SANCTIORIBVS, IVRIVM ET PHILOSO-  
PHIAE PROFESSOR ORDINARIVS,

VNA CVM  
CANCELLARIO, DIRECTORE  
ET  
PROFESSORIBVS RELIQVIS,

*RELIGIOSAM CELEBRATIONEM MEMORIAE*

PASSIONVM  
ET  
RESVRRECTIONIS CHRISTI

*Ex Joann. XII, 24.*

CIVIBVS ACADEMICIS  
HVMANISSIME COMMENDAT.

---

HALAE MAGDEBVRGICAE  
LITERIS HENDELIANIS.

ACADEMIAE FRIDERICIANAE  
PROFESSOR  
IOHANNES GOTTLIEB  
HEINECCIUS, IC.  
TOTENISSIMO ROSSIAE REGI A CONSILII  
SANCTIONIBUS, LEGIVM ET PHILOS  
PHIAE PROFESSOR ORDINARIVS


CANCELLARII DIRECTORE  
PROFESSORIBVS RELIGIOSIS  
RELIQVOS IN CELEBRATIONEM MEMORIAE



PASSIONVM  
ET  
RESURRECTIONIS CHRISTI  
DE JOHANN. XII. 24.  
CIVIBVS ACADEMICIS  
HUMANISSIME COMMENTAT.

HALLAE MAGDEBURGICAE  
LITTERIS HEINDELIIANIS





**V**enit rursus, **CIVES CARISSIMI**, tempus exoptatissimum, quo Saluator noster ignominia & dedecore quasi obrutus, immo ob peccata nostra sepulcro inclusus, nobis ostenditur tanquam ingenti cum gloria & potestate resurgens: cumque ad illos fructus considerandos, quos ex hac resurrectione percipere possumus, quidam dies destinati sint, id nobis incumbit, vt vos moneamus, quid & his diebus vobis agendum sit, simulque suppeditemus materiam meditationibus aptam, ne hoc tempus otio & illicitis delectationibus teratur, sed vt potius ad ineffabile gaudium in domino excitemini, aut saltem firma ponatis fundamenta, ad hanc laetitiam in vestro saluatore percipiendam.

Huic nostrae meditationi inseruiat dictum illud Christi Ioh. XII, 24. *Amen, Amen! dico vobis, nisi granum tritici incidens in terram emoriatur, solum (leu sterile) manet; sin vero emoriatur, fructum multum fert.* Quidam nempe Graeci, tanquam primitiae ex gentibus, ad spectum saluatoris nostri adpetebant, faciebantque initium implendae promissionis, quod Christo dandae essent extremitates orbis: quam occasionem saluator noster arripiebat, vt ostenderet, adesse tempus glorificationis suae, simulque, nequis, ob  
 )( 2 exitum,

exitum, huic vaticinio, vt videbatur, minus respondentem, scanda-  
lo adficeretur, modum huius exaltationis declararet. Se igitur  
proponit sub specie 1) grani triticei, quod 2) sub terram cadit &  
emoritur, 3) multos vero fert fructus.

Granum tritici, purissimum illud & praestantissimum reli-  
quorum granorum, purissimum & praestantissimum noster Saluator  
summo iure vocabatur, praecipue cum iam in vita sua, ideo quod  
in posterum terra obruendus erat, multosque fructus prolaturus,  
verus vitae panis multis fiebat. Praestantissimum vero hoc gra-  
num tritici in terram cadebat & emoriebatur. Huc faciunt om-  
nia ea, quae vnquam splendorem saluatoris nostri instar terrae  
alicuius obtexerunt, ita, vt vel mortuus & putridus, etiam dum vi-  
ueret, a multis iudicaretur. Immo vero ita quoque emoriebatur,  
vt vitam poneret, licet ipsa putredine non adficeretur. Iam illud  
granum tritici Hierosolyma vniuersa emortuum videre poterat, &  
illum, qui olim panem vitae sese praedicaauerat, ipsa vita priuatum.  
Tum quoque in terram immittebatur, ita vt iam omnis spes deesset.  
Quis, quaeſo, ex ista sterili terra tam egregios fructus prodituros  
sperare poterat?

Sed quid fiebat? Ingentem fructum ferebat hoc granum tri-  
tici, paucis diebus praeterlapsis. Terram subierat saluator noster,  
mortuus; sed ecce viuum in saecula saeculorum: quem infensis-  
simi hostes neque vita neque regno priuare poterunt, neque pro-  
hibebunt, quo minus veniens in nubibus ipsis tanquam victorem  
se sistat. Sedit nunc ad dextram DEI ineffabili cum gloria: non  
iam vt peccatis commaculatus, sed, vt absolutus, ob perfectissimam  
iustitiam, ab omni peccato imputato, ipsum solium DEI insedit.

Nec in ipso subsistunt hi fructus, sed nascuntur ei filii sicut  
ros aurorae, & datum est ei semen Et. LIII. O! quot infinita mil-  
lia iustorum, veluti ingens corona, caput eius exornant? qui  
per eius iustitiam iusti sunt facti, qui ex eius vita vitam acceperunt,  
quique sponte seruiunt ipsi in decore sanctitatis. Hi sunt sane e-  
gregii fructus praestantissimi huius grani. Fulgent, non quidem  
splen-

splendore humanae vel angelicae iustitiae; sed induti illa iustitiae veste, quae omnem omnium rerum creaturarum sanctitatem & iustitiam superat. Omnigena maiestate & pulchritudine intus exornati sunt, Pf. XXXXV, 14. immo tanquam sponsae ad eius dextram adsunt, quem omnes angeli coniecta facie reuerentur. O infinitos fructus! hos miseros, perditos, peccatis erroribusque obrutos reos, qui miseriam suam adeo vident clarissime; vt, nisi dominus eos adiuuaret, quisque illorum non crediturus foret, se quoque, tanta miseria obrutum, quam ipsa verba, ipsae cogitationes, ipsa nonsemper aequalis cupiditas gratiae consequendae, toties produunt, posse liberari: hos, inquam, miserrimos reos purissima iustitia indui, regesque & sacerdotes esse coram DEO & populo eius. Adflctissimi vero & fide carentes animi, qui potius vel ineffabili tristitia peccata sua delere cuperent, quam ex mera gratia iustificari, qua ratione huius merae gratiae certi futuri essent, nisi spiritus ille, qui testimonium exhibet nostra cum mente, quod filii DEI simus, tanquam egregius fructus illis partus esset? Adflctissimi illi animi, qui in omnibus, quae agunt & faciunt, maledictionem legis perceperunt, quomodo auderent, vel pro gloria DEI quid suscipere? Nonne potius territi illis fulminibus, quibus lex DEI omnes illorum actiones, ipsas cogitationes, ipsas saepe preces obruit, seruatorum instar sessuri essent, qui ne hircere quidem audent? nisi ille spiritus filialis animum ipsis adderet, amore erga DEVM ipsos impleret, doceretque omnia. Sed quo temporis spatio liberi a tyrannide peccati futuri essent? qui debiles saepe vires ita cernunt, vt vel timeant, saltem cum hoc timore configant, ne omnipotens ille DEVS viribus peccati amplius resistere non possit; nisi hic primus, vltimus & viuus ipsis adesset, nisi ille cum iustitia robur quoque in domino ipsis parauisset? Immo vt vnum addamus, hostes regis infensissimi, Pf. XXXXV, 6. qua ratione peccata sua agnitori essent, nisi ipse ille saluator exaltatus esset, vt daret poenitentiam & veniam peccatorum? Immo si haec omnia parua essent, iustificatio, vnctio spiritus, robur spirituale, gratia etiam poenitentiae,

quid iuuare possent homines, toties totiesque vel infirmitate lapsos, vel quibusdam tentationibus inferiores futuros, nisi ipse ille dominus sederet ad dextram patris, tanquam fidelis sacerdos, ad expianda vel incognita nobis peccata; nisi rogaret patrem, ne fides nostra desinat. Nisi etiam pro hostibus ipsis exclamaret, *τὸ ἄφες, remitte!* diceretque, sine eos adhuc hunc annum, ut recolam eos amplius, num fructus ferre velint; quomodo parta pro refractariis quoque bona vnquam accipere possent?

Vidimus igitur, CIVES CARISSIMI, Christum magno fructuum numero conspicuum; praecipue vero in nos ingentia inde commoda redundare. Videamus nunc eam adplicationem, quam ipse facit v. 25. 26. *Quisquis amauerit animam suam, perdet eam; & quisquis odio habuerit animam suam in mundo hoc, in vitam aeternam custodiet eam. Si quis mihi ministrat, sequatur me: atque ubi ero ego, ibidem etiam meus minister erit. Quod si quis mihi ministrabit, pater eum honorabit.* Agite igitur omnes, ut & his diebus ea ratione, quam Christum praescripsit, multos fructus feratis.

Quid abestis vos, o refractarii & scientes peccatores, in quorum corde refidet odium huius regis. Frustra dicitis, *dirumpamus vincula eius, & abiiciamus compedes eius* Pf. II, 3. Huncne ingentem & potentissimum regem vel ludibrio habebitis, vel ista saltem amoris vincula, quae vobis iniicere saepius conatus est, ut rem parui momenti contemnetis, & negligetis? *Ridet vos, qui in caelis habitat.* Pf. II, 4. Hic est ille omnipotens, contra quem efficere vestra debilitas nihil poterit. Quid impedit, quo minus vel his diebus omnipotentem illum victorem adoretis? Num illi poenitentiae dolores, quibus quasi sepeliendi estis? Ast vero hic modus est, quo & vos ingentes fructus ferre potestis. Et quidem, quos dolores Christi sanctissima mens pro vestris peccatis suscipit? Vos vero, quos tanto labore redemit, eo fine, ut de iis tanquam eximio quodam fructu gaudere possent: vosne aliquos pro hostili vestro animo dolores horrebitis? Aut vobis in hoc mundo perferendi sunt, aut aeterna, multoque maiora lamenta exspectanda.



ctanda. Vobis iam proponitur benedictionis & maledictionis via; eligite, quae vobis optima videbitur. Via est maledictionis, si pergetis, vires vestras in vestram interuersionem conuertere, omnipotentem laceffere, inquietamque semper vitam aliqua peccati dulcedine delinire. Via est benedictionis, vt per aliquam vitae vestrae partem lugentes & dolentes, ad eum confugiatis, qui vobis quietem dare, & omnia peccata absorbere, & obliuioni immergere poterit; qui vos etiam in hac vita non seruos, sed filios reddet, qui sponte ipsum colent; quique faciet, vt a patre ipsius nunc & in aeternum honorem. Omnia quae vobis necessaria sunt, parta vidistis: *Venite, igitur, & comedite; sic prae laetitia anima vestra pinguescet.* Ies. LV, 2.

Vos quoque, o afflictae mentes, intueamini quae sunt his diebus, hunc redemptorem vestrum. Si peccata vestra ita a vobis agnita sunt, vt iis sepulti penitus vobis videamini, gaudete & laetamini: videtis enim, initium factum esse, vt parti fructus vobis distribuatur. Immensum fortasse cumulum impietatis cernitis, timerisque fore, vt DEVS vos derelinquat; sed, credite, & satisfactio & potentia eius consummata est, nec amor eius per maiestatem & gloriam imminutus. Confugite ad illum solum, qui vos morti tradidit, tantosque vobis terrores conscientiae ob peccata vestra incuti permisit, vt tanquam in terram proiecti & emortui vobis videamini. *Venite, vt reuertamur, ad dominum: nam ille nos dispersit, ipse & sanabit nos: ille nos verberibus adfecit, ipse & curabit. Reuiuiscere nos facit post biduum, die tertio suscitabit nos, & coram eo viuemus.* Hof. VI, 1. 2.

Super illis vero, o caeli, laetamini & iubilate, qui iam in hac vita illos fructus ostendunt, quos saluator ipsis peperit, quosque illi emoriendo acceperunt. Hanc nubem testium adspicite, o timidi, vestramque ex iis felicitatem discite, si vobis ipsis moriendo vitam demum viuatis. Hos intuemini, quicumque veris Christianis miseriam illorum exprobratis: horum laetitiam in domino conferatis cum vanis vestris desideriis. Quid vero his dicendum est?

est? illud credo, quod Psaltes sponsae regiae, altissimo loco constitutae, dicit Ps. XXXV, 11. 12. *Audi, filia, vide, & inclina aurem tuam; obliuiscere populum tuum, & patris tui domum; cum pulchritudinem tuam rex admirabit: ille est enim dominus tuus, tuque adorabis eum.* Mittite igitur, quae vobis sunt carissima; in hoc vnico delectatio vestra versetur, vt illum, qui vobis tantos fructus ex dolore conscientiae vestrae emergere fecit, his quoque diebus colatis, veneremini, & acrius admetis.

Et quidem in ista futura vita vltiores adhuc fructus expectamus, ab iis percipiendos, qui sibi ipsis & vera poenitentia ab operibus mortuis, & quotidiana renouatione spiritus mortui sunt. Ab horum inquam oculis, quibus peccata plurimos expresserunt fletus, quique ex permagnis varii generis afflictionibus venerunt, *absterget ipse DEVS lacrimas* Apoc. VII, 17., ita vt ploratus & eiulatus penitus sint cessaturi.

Haec vt omnes consequantur, hi quoque dies instituti sunt. Qui igitur viuere cupit cum reuiuiscente Christo, moriatur cum ipso; qui cum eo dominari vult, passiones quoque subeat; qui initium moriendi fecit, ne desinat: sic demum verum & ineffabilem fructum percipiet.

P. P. in Academia Fridericiana pridie fer. Resurrect. Christi  
clo Iccc XXXV.



Ja 1586

ULB Halle

3

001 508 687




St

VD 78

VD 78





ACADEMIA  
PRO  
IOANNE  
HEINI

POTENTISSIMO P  
SANCTIORIBV  
PHIAE PRO

CANCELLA

PROFESSO  
*RELIGIOSAM C*

P A S

RESVRREC

*Ex*  
CIVIBV  
HVMAN

HALAE  
LITERIS



38

AE

EB

SILIIS

O:

RE

S,

STI

cx.

